

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA
 INAUGURALIS,
 DE
PHTHISI PULMONALI,
 QUAM,
 ANNUENTE SUMMO NUMINE,
 Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
 D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
 ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON
 AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;
 Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,
 SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
 JOHANNES LARDEN,
 ANGLLO-BRITANNUS,
 CHIRURGUS,
 SOCIET. MED. REG. EDIN. SOC. EXTRAORD.
 NECNON
 SOCIET. NAT. STUD. EDIN. SOC. ORD.

Μικρα τὲ μεγάλων, καὶ ὀλίγα πολλῶν.
 DIONYS. HALICARNASS.

Et Phthisis et Vomicae putres—
 Sunt tanti?
 JUV. SAT. 13. V. 95.

Ad diem 12. Sept. Horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
 EXECUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
 ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library



GULIELMO CURRIE

MEDICINÆ DOCTORI,

IN URBE CESTRIÆ

ARTEM SUAM

EXERCENTI,

CUM MAXIMA SIBI LAUDE,

CIVIBUSQUE BENEFICIO,

OB VARIA

AMICITIÆ

OFFICIA

IN EUM COLLATA,

HOC OPUSCULUM,

TENUE GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

D. D. CQUE.

AUCTOR.

*Ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra
dirigenda sunt.*

TACITUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

JOHANNE LARDEN AUCTORE.

PROEMIUM.

CUIQUE, potestatis Medicinæ exercendæ instructionem ambienti, aliter contingere nequitur, cùm sic statutis Academiæ hujusce conceditur, quin materiæ pro dissertatione, justè de illo decretis iisdem priusquam exactâ, ut sui in Artis Salutiferæ scientiam acquirendo progressûs documento, selectionem faciat. Huic tanta tamque dubiarum rerum disputationis ubertas, quâ res medica scattet, haud paululum obstat. Alia alii delectu audiunt. Hunc quid novi; illum quid ex datis in-

cautè longæ oblivioni ereptum ; et denique, tertium quarundârum rebus aliis perspicientia major, dirigit. Nihil cum his mihi commune est. Me autem notitiæ spes magis quasi familiaris Phthiseos Pulmonalis, quæ per nostram passibus haud inhibendis infulam hodie etiam grassatur, et ad quam de rebus omnibus quippiam tantulum spectantibus minimè ignorare medicum aut decet aut convenit, ad illam discutiendam impulit. Ad hoc consilium itaque, quæcunque potissimùm ex aliorum aut propriâ experienciâ colligere potui, quam brevissimè, haud quamvis insolito humanitatis more, nunc tradere suscipiam ; sed

—————“ Audite oh mentibus æquis

—————neve hæc nostris spectentur ab annis

Quæ ferimus.”*

DEFINITIO

* Virgil. Aen. ix. 234. 5. 6.

DEFINITIO.

Nemo quandoquidem hujus morbi definitionem, quàm Cullenus cell. meliùs depinxit ; illius verbis nobis uti liceat. “ Corporis emaciatio et debilitas, cum tuffi, febre hecticâ, et plerumque expectoratione purulentâ.” *

Sed cùm hæc multis cum aliis, quæ in Phthisi Pulmonali sæpissimè occurrunt, signis, non solùm sæpè adesse in Catarrho chronico, inveniantur, sed apud quosdam † sese in definitione ejusdem enumerari audiant, idcirco ad definitionem magis concinnam exactamque reddendam, verba, “ semperque ferè cum dyspnoeâ, et dolore cujusdam partis thoracis obtuso,” subjicerem. Satiùs autem est rerum differentias intelligere, quàm de talibus contendere. Hoc itaque dimisso ad morbi historiam adumbrandam nunc memet accingam.

HIS-

* Synop. Nosol. Method. p. 1. 5. 8. vol. ii.

† Frank de curand. homin. morb. p. 121. 2. vol. v.

HISTORIA.

Prout tellus unaquæque terrarum morbis quibusdam præ aliis ex quibuscunque causis, vel situ, plagâ, aut incolarum consuetudinibus magis endemicis obnoxia est, hæc insula protenus, scil. Britannia, Phthisi Pulmonali, paucis cum aliis morbis, oppidò subjicitur; malo, eheu! quo non aliud frequentius, haud ullum lethalius, nullumque inclementius. Nullam enim intermissionem et tantùm æstate adultâ remissionem agnoscit: vix ullis, quos semèl invaserit, parcit vitam: et proh mæror! extremum malorum! adolescentiam, pulchritudinem, solertiamque præcipuè fatigat; eosque, nemo etsi, quantâ quantulâve sint cunque ætate, omninò absolvi- tur, inter annum decimum sextum, et trigessimum quintum, faeminas, potius quam mares, pauperesque quam divites.

Varia sunt ejus primaria symptomata cùm numero tum violentiâ, pro variis morbum comitan-
bus

tibus causis, sed sequenti modo et ordine cursum plerùmque molitur.

In principio nunquàm non adest tussicula levis, plerùmque sicca, interdùm humida, vesperi et per noctem violentior, nec rarò in uno latere quàm in altero decumbenti sævior. Hanc sæpissimè titillatio faucium, raucedo, dyspnœa, post acclivem ascensum præsertim aucta, et sæpè hæmoptysis cum ponderis circa pectus prementis sensu, et genarum rubedine, comitantur. Post hæc respiratio celerior fieri incipit, cephalæa etiam, et plùs minùs pyrexia subsequuntur; hæc ut plurimùm ægrum per totum morbi decursum inquietant, et sempèr paucos ante mortem dies aggravantur. Appetitus plerùmque imminuitur, post pastum sæpissimè vomitus, et alvus in principio morbi ut plurimùm adstricta, evenit. Nonnunquam quædam viscerum abdominalium tumefacta spectata sunt, et quosdam apud expertos hinc per partium consensum Phthisis sempèr glandularum mesentericarum indurationi subsequi habetur.

Hæc

Hæc plùs minúsvè ægrum per aliquot menses, sæpiùs annos, nonnunquam etiam ampliùs viginti, * laceffunt, et ut primum morbi stadium haud ineptè recenfentur.

Morbo verùm plus provecto, dyspnoea moleftior fit, nocteque dieque fatigat. Insuper dolor infestus thoracis, nunc vagus nunc fixus, continuâ verò tuffi adauctus, ægrum difcruciat. Sempèr ferè mucii fpumofi et sæpiffimè fanguinis floridi expuitio copiofa vires conficit. Lingua nitida, pulfus velocior et durior, volarum plantarumque calor ardens, et respiratio admodùm difficilis confequuntur. Nunc animi deliquia crebra, pallor totius vultûs, exceptâ genarum circumfcriptâ maculâ, quæ à principio ad finem ufque morbi creberrimè rubet, et fpes adftantibus falutis remeantis, minimè verùm medico præbet, confpiciuntur.

Hic autem temporis corpus lentâ tabe confumi, animus mutabilis fieri, et modò fpem modò timorem concipere, incipiunt. In fceminis protenùs, modò non uterum gerant, sæpè sæpiùs
mala

* Doct. Gregor, Thes. inaug. de morb. &c. p. 92.

mala hysterica, sempèrque ferè menstruorum suppressio, accedunt.

Hæc secundo in stadio recenferi possunt; tamen post hæc recuperatio ad bonæ munera valetudinis vix non desperanda est.

Denique Phthisin confirmatam, cheu! nimis confirmatam, nemo enim tali discrimine mortis unquam vix ægrè revocatur, signa sequentia denunciant. Expectoratio materiæ plerùmque flavidæ, nonnunquam viridis, sæpè cruore commistæ, præcordia continuè exedit. Concretiones, cretaceis parùm absimiles, sæpissimè simul expuuntur. Spiritus pessimè olet; corpusocyùs macescit. Vires omninò fermè, quo etiam plus vita repugnat, exolvuntur. Nunc febris hecticæ symptomatis omnibus æger stipatur. Pulsus velocior et calor major his indies fiunt, prægresso brevi et ut plurimùm leni rigoris stadio. Dolores sparsim sed plerùmque in pectore ægrum excruciant. Modò prorumpunt nocte sudores colliquentes, modò diarrhœa, et aliquandò diuresis copiosa, urinâ sedimentum furfuraceo-lateritium deponente; hæc sæpissimè totiès inter se alternant,

nant, quotiès humor in corpore finit. Capilli defluunt; ungues aduncant, pedibusque supervenit œdema. His amaror oris, seu potiùs sapor falsus accedit, nec mucò lingua obducitur proprio, sed sæpè fauces osque totum maculant aphthæ. Imò citiùs seu seriùs corpus totum foetet. Albescunt oculi, hebetesque et forde onusti intra orbita sese recondunt. Palpebræ ægrè moventur, crebròque ac si homo dormiret, sine somno tamèn connivent. Tempora collapsa fiunt, et quæ juxtà sunt ossa prominent. Postremò delirium etiam adhuc sperantem, et de futuris amicis cum delusis fermocinantem, corripit ægrum, nec longo postea tempore vitam cum morte mutari evenit.

EXTISPICIA.

IN cadaveribus eorum, quos abstulit Phthisis Pulmonalis, creberrimè quædam ex affectionibus sequentibus observata fuere. Tubercula, quæ per partem vel totam pulmonum materiem dispersa

spersa magnitudine et spissitate * variant, vix unquam abesse à medicis ferè omnibus notantur. In ulceribus graveolentibus concretiones, interdùm iis, nonnunquam rejici suprà memoratis, similes, inventæ fuere. Aliquando vomicæ, ex quibus, ni cæcis, materies flavida puriformis, dum vita remanserit, profluebat, visæ fuere. In quibusdam pleura costalis illi, pulmones investienti, adhæsit. In aliis denique abscessus, pulmonum parenchyma altè latèque rodentes, corpora inspicientium oculis obvenere. De visis aliis, nihil, utpotè præcipuè fortuitis, dicere licet ; ad inquirendum itaque præteribo quæ sit

CAUSA PROXIMA.

Hic multùm sudavere medici totidemque repulsum tulerunt. Quùm tubercula nævis aliis sæpiùs adesse spectata fuerunt, pro causâ hujusce morbi proximâ à multis habita sunt. Cum

B

autem

* Baillie's Morbid Anatomy, p. 48. et seq.

autem ulcerà, vomicæ, et abſceſſus in corporibus Phthiſi peremptorum etiam ſola et haud rarò obſervata fuere, minimè tubercula, nec quidem illa, pro ſolâ proximâ haberi cauſâ poſſunt. Altera autèm, nimium ſcilicet oxygenii in ſanguine, nupèr à Doctore perito Beddoes in medium prolata fuit ; cum verò ipſe palinodiam ingenuiſſimam haud longè poſt edidit, mihi confutationem ſilere liceat.

Melius et forſàn facerem, ſi paritèr ſilentio meam ſententiam vel potiùs hypotheſin præterirem. Sed cum cuique præ aliis una quædam conveniat opinio, conſilioque huiusce diſputationis ſimul habito, nunc illum haud tenue penſum, probabilitate duce, accurare aggrediar.

Ex facili explicitâque ſymptomatum ratione, actutùm tradendâ, mihi faltèm præbitâ, opinatus ſum talem ruinam compagis pulmonum naturalis, qualis irritatione continuâ majora, quàm ſaluti primùm et tandèm vitæ convenit, molimina in functionibus ſuis fungendis ciere poſſit in pulmonibus, cauſam proximam huiusce morbi conſtituere.

ffituere. Nec objiciatur esse,* qui asseverant, nonnullos, quorum in pulmonibus nulla tubercula, neque ulcera, vomicae, nec abscessus, cerni potuerunt, phthificos mortuos esse. At cum membranarum inflammatarum sit, juxta sese appositarum adhærere, ut in pleurâ, peritonæo, urethrâ, &c. quid, quin idem vesiculis membranaceis, pulmonum fieret, causâ æquâ excitante, ut frigore, applicatâ, prohibeat? Imò tam densentur tunicae vesicularum, quàm ut cornea obnebulata lucis radiis, hæ quoque oxygenio, azoto, † acidoque carbonico, transitum saltèm alicubi impediant per se, indeque majora æquo in pulmonibus molimina, in muneribus suis perfungendis cieant. His datis, objectio abrogatur. Si autem pulmones sani penitè fuerint, minimè à Phthisi Pulmonali, mortuos esse deducere; sed Atrophiæ, vel Tabi mortem tribuerem, aut etiam Catarrho chronico; nam, ut verbis auctoris perspectissimi utar, “ hinc plures qui ex ulcere pulmonum

con-

* Russi. Medical Inquiries and observations, page 95. vol. ii.

† Experiments by Mr Davy, p. 432. et seq.

contabuiffe et mortem traxiffe videbantur, aperto cadavere, nec minimum illius vestigium obtulere, nec sputa, quæ purulenta in viventibus quivis jurasset, alium, quàm perversæ secretionis communem cum mucò in coryzâ, in fluore albo, in blennorrhœâ, secreto, originem habuere.” *

Sententia hîc tradita magis fulciri videbitur, cum alios hujusce quosdam concursus morbi simul perpenderemus. Febris hæctica eas inter febres, quæ sine morbo locali primario oriuntur, à Culleno cell : enumerata fuit ; tametsi notâ infra subjectâ refert, se nunquam nisi symptomatîcam eam vidisse ; et hodie omnes fermè ei assentiunt. De causâ verò excitante non paritèr medici omnes consentiunt. A quibusdam de pure resorpto pendere habita fuit ; cum autem ipsi de naturâ puris ad hoc necessariî, sese omninò ignorare confitentur, immò etiam pus ab ulceribus carcinodibus et scorbuticis sæpissimè resorberi in systema, sine hæctica sequente, agnoscunt ; † minime

* Frank. loco supra citato.

† First lines. Art. 861. and Treatise on the Blood, by Mr. J. Hunter, p. 501.

nimè de pure solo resorpto æquum est colligere eam exoriri.

Hinc alii à puris formatione, systemate sic nutrime privato, causam ejus occasionalem petivere. “ Puriformis liquoris” inquit cell: Frank, “ vel et puris diuturna et copiosa secretio præter partis sic affectæ læsionem, ægrotantes, ob nutrimentis principii cum pure recedentis dispendium continuum, exhaurit, et hæc ratione, frequentius quàm puris resorpti effectu, febrem lentam et hydropem inducit.” *

Nemo verùm, quantum mihi contigit, experimentis adhibitis, demonstravit, pus et nutrimentum eadem habere vel principia constituenta, vel elementa etiam chemica. A medicis autem hodiernis observatum fuit, sub decursu multorum morborum, ubi præcipuè sit magna irritatio cum debilitate chronicâ conjuncta, ut in Diabete mellito, † Dyspepsiâ, Chlorosi, Tympanitide, Nostalgia, ‡ in ægrotis

* Page 18. Vol. v.

† Rollo passim.

‡ Sauvage p. 335. vol 4. et II. Milton. Med. Comment. Decad. ii. vol. 1.

ægrotis etiam sub vermibus, calculo, vel dentitione perversâ laborantibus, hecticam febrem sæpissimè sese ostendisse, ubi pus minimè detegi potuit. Hic ab irritatione solâ causam deducere possumus; quid autem, quin idem aliquandò in Phthisi Pulmonali, puris etiam irritamine absente, accedat, prohibere potest? Sed nimis longè hoc saxum volvo. Hæc itaque, ne limites tali, qualis hæc sit disputatio, appositas, transibo, ad inquirendum quæ sint

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæc in Prædisponentes et Occasionales plerùmque dividuntur. Præcipuas illarum priùs recensere aggrediar, per se enim hæc plerumque frustrantur, illæ verò per se cùm fatis in extrema iissent, ut plurimùm, quod Phthisis adsit, faciunt.

Prædisponentes. Hæc multiplicis sunt generis, perinde ac à parentibus, cœlo, genere quæstûs

vel

vel artis, naturâ victûs, vel aliis morbis, oriantur.

1. Medici plerique nunquam ad Phthisin prædispositionem, sit labes hereditaria, sit temperamentum tantum, congenitam esse, hodiè asseverare minimè cupiunt. Sed in quo consistit ea prædispositio, nemo, quantum mihi contigit, ulterius, quàm in certâ corporis conformatione, explicare potuit. Cutis videlicet mollis est, et adedè tenuis, ut venæ traluceant turgidæ cœruleæque. Oculi sunt glauci. Coma splendet leucophæa. Labium superius atque nasi tumida sunt. Dentes candidi, malæque prominent. Thorax angustè comprimitur, humeri superascendant, cervix ulterius producitur, forma denique tota gracilis, cui ingenii multum acuminis jungitur, neminem latet. His temperamentum sanguineum, seu potius habitus hæmorrhagicus, ut ad Phthisin prædispositionem præbens, accedit.

2. Quod ad cœlum spectat, “ quàm morbus in regione aliquâ grassari observatur, sed sub alio cœlo rarè occurrit, fatis verisimile est malum

ex cœli effectibus originem ducere.* Hoc, cæteris paribus, procul dubiò verum est; sed cum plures, corpus ad Phthisin pronius reddentes, adsint sub hoc vel alio cœlo causæ, quàm sub altero, tunc etsi cœlum quam maximè polleat, Phthisis in regione hâc quàm in alterâ nihilominus frequentior erit; et hinc Britanniam, etiamsi insulam septentrionalem hunc morbum magis, quàm regiones alias paritèr cœlo infalubri subjectas, depopulari memet persuasum habeo. Sed valeat cœlum quantum valere potest, prorsus indirectè, eo scilicet usque, quò ad morbos alios, Phthisin excitare assuetos, corpus recipiendos quotidie subjiciat, plerùmque agere, mihi saltèm, videtur. Impræsentiarùm itaque nihil ultrà dicere licet.

3. De more vivendi pauca tantùm referre fas est; sub iudice enim adhuc est quod opificum genus huic morbo magis obnoxium sit. Lapididas, molitores, textores, tibicines, et omnes generis si qui sint, similes, in prælectionibus

Gregorii

* Dissert. inaug. D. Gregorii, p. 19.

Gregorii celeb. praecipuè Phthisi proniores esse audivi. Doctor Beddoes autem fabros ferrarios, aerarios, et lignarios, factores etiam, et omnes qui vitam sedentariam degunt, huic morbo proclives esse præ aliis, refert.* Haud dubiè otiosis corpora sunt resolutiora, et quòd pulvis, cui ex quæstu suo operarius quisque dictus per diem in diem subjicitur, pulmones quotidie, vel post coacervationem ejus, irritando, infirmandoque, corpora eorundem ad Phthisin procliviora reddere quam maximè valeat, nemo dubitare potest. Pariter etiam nimiam nicotianæ exsiccatæ usurpationem, præcipuè in primâ juventute, et potissimum naribus ob abusum ejus arefcentibus, agere posse, haud verisimile minimè mihi videtur.

4. De naturâ cibi multa verba fecit auctor novissimè citatus, et probare, diætam vegetabilem, nimiè usurpatam, corpus ad Phthisin pronius reddere, nervosè conatus est.† De hoc, diversam tamen ob rationem, memet persuasum habeo; non propter effectus ejus quantitatem oxygenii in

C

systemate

* Essay on Pulmonary Consumption, p. 65.

† Pag. 109. et seq.

systemate augendo ; at quia corpus, fatis nutritivis ei non suppeditato, tandem debilitat. Itidem aquosa, cruda, et omnia denique faciunt, quæ Dyspepsiam, ut vinosa, spirituosa, salita, condita, et ejusmodi cuncta improprie adhibita, producere solent.

5. Aliquandò ab aliis morbis fit prædispositio ad Phthisin. Qui enim Syphilidi, aut Catarrho neglecto, semel sæpiùs, vel Variolæ confluenti aut Rubeolæ, malè tractatæ, subjecti fuere, creberrimè pulmones læsos habere observati sunt. Sed præ his vel aliis, si quæ sint causæ, sub Hæmoptyse aut quâvis affectione Scrophulosâ, præcipuè induratione glandularum mesentericarum vel cervicalium, aut etiam Hydarthro, jam laborâsse, multò majorem ad Phthisin prædispositionem præbet.

Occasionales. E multis Phthisin Pulmonalem excitantibus causis Hæmoptysin inter præcipuas esse, putavit Cullenus maximus, et ut illius sequelam, morbum, de quo agitur, in Nosologiâ suâ collocavit. De centum autem quique illorum, qui unquam è pulmonibus sputavere sanguinem,

ginem, undecentum credit Gregorius celebr. potiùs Hæmoptysin a Phthisi quàm hanc ab illâ traxisse; et nemo nescit, quòd Hæmoptysis ab aliquâ evacuatione solitâ, ut fluxu menstruo aut hæmorrhoidali, suppressâ oriatur, vel à femore etiam, aut brachio amputato, vel à vi ab externis ut ense, globulove plumbeo, pectus transmissio, procedere possit, quin Phthisis vel cooriatur vel subsequatur. Nihilominùs, quòd Phthisis adfuerit, sæpiùs fecisse ab omnibus ferè medicis Hæmoptysis agnoscitur. Auctor novissimè dictus, quo nullus luculentior, potiùs adducitur, ut Scrophulæ vel inflammationi Catarrhali, ad pulmones descendenti, Phthisin tribuat. Et, ni fallor, aër frigidior, etiamsi non priùs Catarrhum induxerit, nonnunquàm Phthisin, inducendo per internas pulmonum superficies, quas tegit epithelion, inflammationem, et indè quandèque forsàn vesicularum densationem, incitat. Aliquandò autèm Pneumonia, Asthma, Variola, et Rubeola, interdùm etiam Syphilis et Scorbutus hunc morbum excitant. Extranca denique in pulmones decidentia, vel per metastasin ibi depositi

depositi humores mali moris, venena, eruptiones retropulsæ, vel etiam apud Abernethy ingeniosum perspiratio suppressa, inter Phthiseos causas occasionales recenferi queunt. A quibusdam contagium specificum Phthisin induxisse affirmatur; primâ facie, parùm probabile videtur, frequentius enim, si reipsâ id unquàm eveniat, quàm impræsentiarùm etiam, grassari Phthisis notaretur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Tussis perpetua, Dyspnœa, respirationis acceleratio cum dolore pectoris, ab irritamine, in Pulmonibus existente, originem ducunt. Irritatio autem vel per dispendium vis cerebri, vel per sympathiam partium, Cephalalgiam, et appetitûs diminutionem, concitat; inter enim partes, his symptomatibus originem præbentes, et pulmones, consensus notabilis videtur. Immò Doctor Beddoes eidem causæ finali et ventriculum, et pulmones inservire, præcipuè ab experimentis quibusdam, omnibus notis, Domini Spald-

ing,

ing, credere videtur ; dicit enim,* “ It is impossible to doubt that we are nourished by the lungs, as much as by the stomach, and that what we take in at the former entrance, becomes like our food, a part of the substance of our solids, as well as of our fluids.”

Reliqua ut Diarrhœa, Diuresis, et sudores colliquentes, ut aiunt, cum fervore ardente, magnâ prostratione virium, et marcore, à febre Hecticâ, etiam ab irritamine pendente, exoriuntur.

Suprà dictum fuit graviditatem hujusce morbi cursum impedire ex sententiâ multorum medicorum. Quomodò autem hoc efficere valeat, minimè pro certo adhuc patet. Dr. Beddoes per abstractionem oxygenii à matre ad foetum, difficultatem solvere conabatur ; Dr. Sutton per propensionem, quam graviditas inducere solet, ad nauseam vomitumque perpetuum ferè ciendum, nondum explicat. At, ni fallor, determinatio sanguinis uterum versus major, indeque in pulmones minor, meliorem expositionem præstat. Cum prætereà à Doctore J. Hamilton, cujus et ingenii acumen, et experientia justè illi summam fidem

* Letter to Dr. Darwin, page 27 and 28.

dem inscribunt, observatum fuerit, Phthificas paulò post partum sempèr in pejora ruere, quàm ante graviditatem fuere expertæ, hoc quoque, ad novissimam hypothefin dictam, explicari potest facilitèr, cùm per alias omninò recusat. Nemo enim nescit determinationem sanguinis post partum statim mutari, et præcipuè ad mammas et pectus quoque versus, majori solitâ copiâ fluere. Insuper ab hâc causâ solâ plures, ut refert Dr. Hamilton, matres quotannis Phthisi corripuntur, et à prole eâdem abripiuntur.

Spes fausti eventûs ab ægro fotas etiam in articulo mortis, morbi durationi attribuerem, undè, quùm symptomata paria bis, tèt, sæpiùsve, ut solent phthifici omnes, superaverit, vanus de mortis prodromis expectat.

Hic observatu dignum est, nonnullos, quamvis in pulmonibus infuerunt tubercula quædam, parùm Phthificos, ut experienciâ comprobatum est, mortuos esse. Hoc alitèr explicare nequeo quàm per hypothefin, causas, quæ tubercula excitârunt illa pauca, priùsqvam alia inducere potuere, remediis adhibitis, fugatas fuisse ;
 ficque

ficque tubercula relicta non eòsque, quin functionibus a què fungerentur pulmones, compaginem eorum destruxisse. Dicerem insupèr ab alio postea statim morbo v. g. peste, correptum fuisse, jam nupèr causis, tubercula tandem concitantibus, expositum, et sub quibusdam paucis etiam jam laborantem, et ab illo morbo, quicumque fuerit, mortuum fuisse. Itidèm de aliis, læsionem parvam tantùm in pulmonibus efficientibus, disceptaretur.

DIAGNOSIS.

Cùm Phthisin incipientem inter et catarrhum vulgarem parùm discriminis aliquando cerni potest, diagnosi hoc in stadio admodùm difficilis fit. Sin signa illa, prædispositionem monstrantia, adsint, quæ præcipuè vel ab indole scrophulosa vel à parentibus oriuntur, tunc Phthisis semper timenda est ; cum autèm desint, nihil operis pretii amittit ille medicus, qui eandem aucupat, eadem enim ratio medendi et ad Catarrhum debellandum

bellandum maximè pollet. Phthifin confirmatam dignofcere Dyfpnœa, dolor thoracis, tuffis, et febris denique hecticæ fymptomata cum puris expectoratione, illa, à Tabe, et hæc, ab Atrophîâ, cujuslibet fit fpeciei, vel ab omni alio morbo nobis prorsùs fuppeditant. Multi Diagnofin trahere à materiei gravitate fpecificâ, ex fputæ folùm conati funt. Sed hâc fretus, fempèr falli periclitatur; cùm mucus et denfitate et colore pus, pufque mucum eoufque, quò hoc commiftum, vel aère fufflatum, fuprà aquam natat, fæpiffimè fimulat. Plus autem fiducia experimentis, quæ ex rebus, mucum faciliùs pure acido fulphurico et aquâ kali folvi, infupèr et pus, aquâ folutioni infusâ, ima petere, vel per liquorem, inndè turbidum factum, æquè diffundi, et mucum è contrariò in fumma vehi, vel in floculos per aquam difpergi, criterion præbere polliceuntur, me judice, dari debet. Proculdubiò ad dijudicandum inter Phthifin et Catarrhum chronicum, hæc fuprà dictis cum fignis confideratâ, medico opitulari poffunt.

PROG-

PROGNOSIS.

Incipiente tantummodò morbo, dubia unquam fit Prognosis, magis enim provecto, sempèr infautissima est; et etiam primo in stadio magnâ cuncta cautelâ de eventu pronuntiandum est. Magis desperandum est prout originem à labe hæreditariâ vel scrophulosâ, et minùs cùm à Pneumoniâ, Catarrho, vel Hæmoptysi ducat. Excretorum natura, virium penus, violentia febris, et spirandi facultas, interstitium mortis solummodò heu! meliùs prænunciare medico conferunt.

RATIO MEDENDI.

Omnes ferè, qui de methodo curandi, in Phthisi Pulmonali consequendo, tractaverunt, medici, quorum opera quòd ego scrutatus fuerim, mihi videntur, inter remedia, non solùm quàm plurima inutilia, sed quædam etiam noxia, recen-

D

fuisse.

fuisse. Et cum in mente habeamus, medico oportere anceps potius quam nullum tentare medicamentum, simul et naturam morbi, cui obviam itur, nequaquam ulterius, quod sic fecerunt, mirabimur. Morbum enim ad quendam gradum proVectum, insanabilem esse, non Cullenus solus, princeps medicorum, putavit, sed recentiores etiam, etsi multa nova remedia acquisivere, idem agnoscere coguntur. Hinc timendum est, medicos, donec conditio scientiæ optata homines principiis ejus tuto obstare docuerit, et dum haud explorata adhuc probanda sint, et inutilia et noxia adhibere cogi.

At cum medici, necundè aliquis, qui aliter recuperasset, deploratæ foret spei, et temerè orco traderetur, fortassè etiam ab impotentiâ, limites præscribere, ubi, et ubi non, ad sanitatem reductio fieri possit, nedum conati sunt; hic itaque, quæcunque siquandò, sub initio morbi potissimum, Phthificis succurrere comparuere, breviter quamvis, referre mens est.

Ad hoc consilium, sub indicationibus, quæ ad morbum subducendum præcipuè adaptatæ videntur,

dentur, remedia, cuique subsidiaria, recensere, et sequenti ordine, convenit.

1. Operationi ulteriori causarum excitantium prohibendum est.

2. Effectis ruinæ, in compagine pulmonum jam perpetratæ, præcavendum est.

3. Reparitio ejusdem, si licet, tentanda est; et his nobis fugentibus,

4. Symptomata graviora quàm maximè mitiganda sunt.

In primam indicationem solvendo, cum causæ occasionales variant, sic remedia quadantenus diversa esse aliquandò debent. Omnes autem, ni fallor, causæ vel ab inflammationem æquabilem cum effectis ejus quibusdam communibus inducendo, vel à tubercula creando, per majus vel minus pulmonum spatium, Phthisin concitant. Eas licet probè distinguere difficile est, tametsi, seriei gratiâ, in illas, quæ nullâ, et illas, quæ manifestâ, labe scrophulosâ vel hæreditariâ comitantur, dividere liceat.

Ubi itaque Scrophula non in aliquâ corporis parte jam apparuit, nec ad eandem prædispositio

hæreditariâ

hæreditaria adest, et Phthisis tametsi imminere videtur, ad sânguinis detractionem statim currendum est. Sanguis autem, præcipuè cum à Pneumoniâ vel etiam Hæmoptysi symptomata oriuntur, ex orificio venæ amplo, ut pleno rivo profluat, detrahi debet. Quantitas de violentiâ morbi et viribus ægri pendeat; sed ut plurimum largitèr missus magis præstat. Regimen simul antiphlogisticum, ut aiunt, diligentèr observandum est; proindè libera aëris frigiduli admissio, vel potius sedula caloris externi evitatio; remedia lenitèr alvum subducentia, ut fructus tamarindi, cassiæ fistularis, manna, et sales neutri; simul et refrigerantia diuretica, ut nitrum, kali acetatum, vel succo limonum saturatum, cremor tartari vel spiritus nitri dulcis, et aliquandò, præsertim cum Hæmoptysis adest, acida mineralia, vel alumen, &c. adhibenda sunt. Prætereà remedia alia, quæ speciatim ad morbos debellandos, phthisin hujusmodi committere minitantes, quàm maximè pollent, usurpanda sunt.

Cum verò Scrophula, vel aliæ causæ labe hæreditariâ stipatæ, multò frequentiores, Phthisin inferre

inferre minantur, et præcipuè cum tubercula jam formari incipisse suspicatur, cautè ad venæsectionem fugiendum est; cucurbitule potius cruentæ vel hirudines pectori imponandæ sunt; aut epispastica, iteratò sese in aliquâ thoracis parte excipientia, donec inflammatio subducatur, adhibenda sunt. Simul et determinatio fluidorum à pulmonibus ad corporis superficiem vel aliorum studiosè dirigenda est. Ad hoc, emetica tam dosibus refractis, quàm nauseolam solummodò ciant, et balneum tepidum formâ pediluvii aut semicupii, multùm conducere polliceantur. Quin etiam Digitalis, cum pulsus arteriarum tardiores reddendi tam mirificâ vi dotetur, et cum sub usu ejus aquæ hydropicæ sæpissimè forberi observatæ fuerint, non ad inflammationem discutiendam solummodò, sed ad absorptionem tuberculorum promovendam, etiam, præcipuè cum in initio morbi usurpata fuerit, quàm maximè valuisse à quibusdam ob dotes easdem effertur. An vasa absorbentia directè in majora molimina officio suo fungendi stimulet; an ipsa systemati sese priùs reficere, quàm ruina pulmonum omninò irreparabilis evenerit, alitèr finat, ac

per causarum excitantium actionem, vel inflammationem ab iisdem inductam, cohibendam, vix dùm omnibus pro certo cognoscitur; minime enim pulmones adhuc tuberculis, nam sub initio solo morbi illum unquam sanasse censetur, affectos fuisse patet.

Procul dubiò tamèn consilio, inflammationem minuendi, optato infervit; et proindè non solum in Phthisi incipiente, sed stadiis provectoribus etiam, cum tubercula, uti neglecta sæpiùs solent, iterùm inflammata evaserint, cum effectu beatissimo porrigi potest. Etsi autèm quidam hoc viribus ejus nauseam ciendi tribuant, nihilominùs ad dotes actionem cordis temperandi pro secundâ indicatione generali datâ, et etiam in stadio ultimo morbi ad graviora symptomata, et præsertim febrem hecticam, sudores colliquentes, et diarrhœam, ob vires ejus renes stimulandi, undè materies, in sanguinem ab ulceribus in pulmonibus absorpta, forsitan eliminetur, mitiganda, confugere licet. Cæteræ rationes secundam nostram indicationem adimplendi ut plurimum, ex evitacione omnium, quæ debilitatem,

ab irritatione in pulmonibus aliter confecturam, augere possunt, et è corporis ad eandem resistendum firmatione, constant. Sic fonticuli et fetacea, ut faniei Scrophulosæ exitum præbentia à quibusdam habita, cum potius ad Phthificos in sedes plurium properandos, irritamen irritationi addendo, quàm ad eos sanandos, aptari, videntur, cavenda sunt. Ita etiam labor, castra veneris, ambulatio ac exercitatio musculorum omnigena, sed præcipuè illorum respirationi inservientium, evitanda sunt. Vice quorum motationes, ut jactatio super funem pendulum vel axem vi resiliendi præditam, equitatio, vectio, et navigatio, alternè ad optionem ægrotantis usurpandæ sunt. Cibus insupèr eupepticus, et ut plurimum alimentarius magis, fieri debet; et pro aquosis, vegetabilibus, salitis, piperatis, conditiivè alijsmodi et adipatis oxygarisque, diæta simplex debet esse, quantitate viribus ventriculi aptatâ, et ex carne recente vel pullinâ, ovinâ aut bovillâ, vel ex jusculis de his confectis, ovivè constare præstat; pro autem potionibus spirituosis, vinosis, aliivè fermentatis, lacte, et præcipuè asmarium, caprinum vel fœmineum,

mineum, prout minus materiei caseariae et plus
 faccharinae vaccino continent; his verò captum
 aëri fugientibus, vaccinum vel equinum usur-
 pandum est; necnon decocta et infusa quaedam
 blanda, præcipuè fructûs maturi, farinaceorum,
 et similium, porrigenda sunt.

Præterea cœlum, si convenit, aliter vestitus,
 mutari debet. Regiones calidiores, ex. gr. Italia,
 Lusitania, Hispania, insulæ Fortunatæ, Maderas,
 necnon Indiæ occidentalis, ut dicitur, phthificis
 præ aliis salutare habentur. Cum autem res an-
 gustae domi his obstant, cœli effectus vestibis ca-
 vendi sunt, et pro cois cum similibus, industria
 lanca, palliastria, focalia, &c. usurpanda sunt.
 Loca campestria etiam, et irrigua, sodalitas hi-
 lara, et musice mulcens, quærenda sunt.

Ad causam morbi proximam removendam,
 tertiam nostram indicationem, multa remedia,
 æqualiter inutilia fermè, tentata fuere. De Digitali
 jam supra dictum fuit; auræ factitiæ autem,
 eodem cum consilio prolatae, parum expectationi
 vel medentium vel aegrotantium respondisse vi-
 dentur. Hoc ni fallor, a priore prænunciari,

morbi naturâ satis perpensâ, potuisset. Irritamen continuum in penetralibus, si sic dicere liceat, pulmonum inhærerere, clariùs heu! demonstrant dolor in pectore, dyspnoea, pulsûs et respirationis acceleratio, et tussis perpetua; huic itaque irritationis causae, nihil praeter aëris cujusdam è saccis aspirandi laborem adjicere, multò magis, aurae inusitatae et plùs minùs stimulantis respirationem, nihil aliud est, quàm oleum addere camino, et pariter calorem, etc. augeri inventum est. Aëris etiam equilium et bovilium aspirationem è fortiori phthificis parùm profuturum esse, experimentis Lavoisieri pro veris habitis, colligetur; refert enim hic eandem oxygenii quantitatem unâquaque respiratione, quomodocunque variet ejus ratio ad aërem quocum dilutum fuerit, consumi. Verba ejus sequuntur; “ soit que les animaux respirent dans l’ air vital pur, soit qu’ils respirent dans ce même air, melangé avec une proportion plus ou moins considerable de gas azote, la quantité d’ air vital, qu’ils consomment, est toujours la même, à de tres-legeres

differences près.”* Prætereà pulmones, ut quidam censebant, focum esse caloris corporis, plerique hodiè negant, propter capacitatem auctam sanguinis arterialis calorem generatum absorben-
tis. Ex his itaque rebus duobus apparebit, nihil boni à minore oxygenii in stabulis et bubilibus consumptione expectandum esse. Contrariè, cum omnibus patet, respirationem in locis turbâ coarctatis breviari, et dolorificam fieri, propter fortassè majorem oxygenium ab azoto dirimendi, attractione eorum inversè pro saturatione existente, difficultatem, hoc solum præponderat commodo atmosphæræ calidæ in bubilibus et stabulis impetrabili. Immò si quæ fides experimentis Dom. Davy, plus oxygenii pro quantitate ejusdem inversâ, post unamquamque respirationem consumitur †; undè, cum calor animalis à quantitate oxygenii consumpti pendet, ardor volarum plantarumque et febris etiam hectica, si-
gna

* Memoires de l'Acad. Royal. des Sciences pour l'année 1789, p. 575.

† Researches, &c. p. 442. et seq.

gna Phthiseos gravissima, in dictis locis augebuntur; nec mirum, si plectantur ægroti, quidquid delirent medentes.

His fortasse etiam rebus, scilicet, quantitati oxygenii aut saturationi plenæ cum eodem azoti, salubritas atmosphæræ super campestria phthificis, ubi gramen et vegetabilia alia ut plurimum spontè crescunt,* attribui potest. Ob hanc rationem autèm, cum Phthifici navigatione ad salutem uti aggrediantur, oras † legere magis, quàm itinera trans mare longa, ubi porrò penus congestum parùm sanis etiam convenit, perpeti, præstet. Si autem gas, acidum carbonicum dictum, vel hydrogenium carbonatum Phthificis profuisse, ut quidam putant, quorum auctoritatem quam maximi æstimo, visa fuere, haud mecum hæreo affirmare, aërem ex aperto cubiculo quàm è facculis præstantiùs esse haurire. An verò viribus illorum sedativis, an putredini obstandi, effectus
attribuere

* Senebier, Memoires Physico-chimiques. Tom. I. sect. 41.

Medical Contributions by Dr. Beddoes, p. 120.

attribuere paululum dubito ; sed cum videntur, præcipuè acidum carbonicum, adjuvasse, ubi præfertim ulcus apertum et pus acre in pulmonibus adfuit, immo acorem ejusdem nonnunquam multum mitigavisse, idcirco dotes ejus antisepticas quàm narcoticas vel alias pluris ducere magis propendo.

De aliis rationibus Phthifin debellandi, scil. de vulnerariis et detergentibus, ut myrrhâ, balsamis, &c. necnon de usu cicutæ et calomelanos ad absorptionem augendam, et muriatis Barytis, et emeticorum ad eandem finem, aliquid dicere non necesse ducò ; circa enim has duas res, videl. evitacionem irritaminis cujuslibet, et confirmacionem systematis ad suam curationem efficiendam, totum hodiè saltèm versari Phthifi medendi cardinem, me persuasum habeo.

Cùm itaque hæc consilia, viribus medicinæ, ut sæpiùs solent, quâ impræsentiarùm sese habet, effugerint, ad symptomata magis prementia sublevanda repugnantèr decurrendum est.

Dyspnœa proinde per ætheris vaporum, Catarrhus si adfit, lactis vel aquæ calidæ inhalitacionem

nem, et per opiata, cicutam et similia, lenienda sunt. Tussis et dolor pectoris per mucilaginosam, oleosam, syrupum papaveris albi, &c. consopienda sunt. Diarrhœa per catechu, kino, opium, &c. cohibenda est; sudores colliquentes, ut aiunt, per acida mineralia, febris, vegetabilia, et per digitalem; et denique Aphthæ per gargarismata adstringentia expellendæ sunt. Ita mortis cubile molliendo, donec, etiamnum invitè, debitum ingratae mortalitatis æger exolverit, medicus “repand des fleurs sur les bords de notre tombe, et nous masque l’horreur de ce passage effrayant.”*

PROPHYLACTICE.

Hanc in postremum non minus ad prolepsin ac tautologiam, quantum fieri potest, cavendum detuli.

Prophylactica duplicis sunt generis, vel generalia, cum Hygieine, vel specialia, cum Prophylactice,

* Chaptal. Annales de Chimie, tom. iv. p. 21.

lactice, dicuntur. De illis hinc nulla, et de his pauca tantummodo, cum sursum relegare licet, desunt. Consilia ut plurimum sunt sequentia. I. Causas prædisponentes extra corpus fugere vel providere; II. Internas amovere vel præcavere; et III. Occasionales evitare vel inconsultò susceptis quam primum occurrere.

I. Inter primas natura cibi, coelum, et vitæ genus, enumerari possunt. De diætâ vitandâ, scilicet tenui, parciori vel largiore, et dyspepticâ, atque illâ vice hujus usurpandâ, videlicet blandâ, eupepticâ et nutriente, jam sub curatione Phthiseos incipientis, quæ aliter hic dixissem, memoravi; sic et de mutatione cœli, à cujus effectis subucula lanea, palliastrum, et focale corpus optimè muniunt. Omnia nota, quæ ad Phthisin corpus prædisponent, vitæ genera, et mores quidam, ut tibiâ canendi ad animum detinendum, vel pulvere nicotianæ aliove sternutatorio utendi ad gratam naribus titillationem reddendam, jam recensita sunt. Hinc nihil medico restat nisi illis, a quovis suprâ dictorum quantumcunque patientibus, suadere, statim se eodem abrogare, aut derelinquere,

quere, et cum quæstus fuerit, alterum, si res tenuis urgeat, non malo eodem patens, ut vitam apud Rush * veredarii, vel aurigæ, nautæ, et apud Beddoes, † multùm in his versatum, lanii, piscarii, famuli et similibus, inire.

II. Consilium secundum vix ita faciliter absolvi potest, nam magna ad hunc morbum proclivitas, quæ nonnunquam à conformatione corporis quâdam, vel ab injuriâ pulmonibus jam aliis morbis allatâ, oritur, haud rarò vires medicinæ omninò exuperat. An verò jactatio frequens disci, aut libratio ponderis plumbei rursùm et prorsùm à viris, et gestatio torquis humeros retrahentis, et chlamys vel zona Græca dicta, pro pectorali neçtili in primâ juventute usurpata, à feminis, conformationem malam thoracis quodpiam reparare queunt, mihi non contigit; certè verùm horum et similibus experimentum capere expediat. Simul autèm sic affectos, et eos pulmones infirmos, quantum colligi potest, habentes, religiosè etiam

causas

* Medical Inquiries and observations.

† Essay on Pulmonary Consumption, p. 32. et seq.

causas excitantes fugere, certè oportet. An habitus scrophulosus medelam absolutam agnoscere potest, mihi non patet; nihilominùs haud dubito, quin observantia rigida diaetæ et regiminis, præcipuè quod ad exercitium et vestitum spectat, jam suprà sub methodo medendi commendati, simul et usus balnei tepidi vel artificialis vel naturalis, ut Bathoniæ vel Bucosteni, à Doctore Beddoes et aliis, justè, ut ipsè, sæpiùs, vice simplice expertus, affirmare possum, laudati, scrophulosos à Phthisi salvos præstare possint.

III. Hæmoptysis et Catarrhus, seu potius frigus pro indicatione tertià, sunt, quæ ab iis, qui ad Phthisin jam multùm proclives sunt, maximè metuenda sunt. Proindè suppressio cujusvis evacuationis solitæ, nifus quoquomodò violentes omnigeni, sed præsertim musculorum respirationis, ut exercitatio vehemens oratoria &c. necnon calor externus, quàm sedulò cavenda sunt. Frigus etiam, fit per aquam vel aërem, et præcipuè pedibus applicatum, vel corpori calefacto admotum, cùm non solùm perspirationis suppressionem et majorem in partes internas sanguinis cursum im-
petumque

petumque efficit, sed etiam pulmonibus ipsis inflammationem et Catarrhum inferre potest, præ omnibus aliis cautissimè evitandum est. Cum autem Hæmoptysis, Catarrhus, aliufve morbus Phthisin post se trahere assuetus, ab aliquo, jam ad morbum propenso, susceptus fuerit, constantissima remedia in morbis illis maximè pollentia adhibenda sunt; nam—

—“ Serò medicina paratur

“ Cum mala per longas invaluerè moras.”

FINIS.



DE PHTHISI PULMONALI

petuntque efficit, sed etiam pulmonibus ipsi
 inflammationem et Carcinum intare possunt.
 per omnes alia cautissima curandum est.
 Cum autem Hemoptis, Carcinus, alveolaris
 per Phtisim possit trahere alveolaris, ad alveo-
 lam ad morbum propensio, susceptus fuerit, con-
 siderandum est, in morbo huiusmodi, quomodo

adhibenda sunt; nam

DE PHTHISI PULMONALI

Cum mala per longum intervallo moras

INVADET ALIIS

W I M I S

ERRIBUS ENTERRMITTENTIBUS

